

tinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps vel dux, comes, vicecomes, judex aut ecclesiastica seu sacerdotalis persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere contraire tentaverit, secundo tertiove commonita si se non satisfactione congrua emendaverit, honoris sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniuitate cognoscat, et a sacratissimo corpore, et sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipient et apud districtum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, amen.

Scriptum per manum Petri scrinarii saec. palatii.

Datum Laterani per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, iv Kalendas Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis 1097, anno autem pontificatus domini Urbani papæ II decimo.

#### CCXX.

*Privilegium Urbani II papæ ad S. Hugonem pro immunitate cellarum Cluniacensium et interdicto, ac libertate convocandi apud Cluniacum quem voluerit antistitem ad chrisma conficiendum et oleum benedicendum.*

(Anno 1097.)

[Bullar. Cluniac., 28.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo fratri HUGONI abbatii, et universis Cluniacensis cœnobij fratribus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam abundante iniuitate refrigescit charitas multorum, oportet nos pro loci nobis divinitus commissi regimine paucorum, id est servorum Dei religione attentius providere. Per illos enim plerisque in locis servi Dei et monachi perturbantur, per quos potissimum eos soveri ac protegi expediret. Quæ nimisculpa nonnullos nostri temporis episcopos respicit, qui dum terrenis inhiant, eos qui terrena videntur despexisse perturbant. Quorum profecto molestiis per apostolicæ sedis dispensationem duximus obviandum; quatenus opitulante Deo a sacerdibus tumultibus liberi, tam pro nobis, quam et pro ipsis, et universis Christi fidelibus exorare sollicitius valeatis. Præsenti igitur constitutione sancimus, ne cellarum vestiarum ubilibet positarum fratres pro vicinarum diœcensem interdictione, vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patientur, sed tam monachi ipsi, quam et famuli eorum, qui videlicet monasticæ se professioni devoverunt, clausis ecclesiarum januis, non admissis diœcesanis, divinae servitutis officia celebrent, et sepulturæ debita peragant. Vobis praeterea, qui in ipso Cluniacensi cœnobia commoramini, licentiam indulgemus ut ad chrisma conficiendum, sive oleum benedicendum vestris vestrorumque usibus, quem malueritis catholicum episcopum advocetis, qui nostra fultus auctoritate quæ postulant indulget. Si quis vero

A episcopus, vel episcoporum minister, super his molestiam vobis ingerere, et nostris constitutionibus obviam ire præsumpserit, pro sedis apostolicæ contemptu, secundum beati Gelasii sententiam, sui erit ordinis et honoris elisor.

Scriptum per manus Lanfranci, notarii sacri palatii.

Datum Laterani per manum Joannis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, xv Kalendas Maii, indictione v, anno Dominicæ Incarnationis 1097, pontificatus autem domini Urbani papæ secundi anno decimo.

#### CCXXI.

*\* Urbanus II Ecclesiæ Arvernensis privilegia et possessiones confirmat, e statuitque ut ejus Ecclesiæ antistes in ordinatione metropolitani Bituricensis primum locum obtineat.*

(Anno 1097.)

[RUINART, Vita Urbani, p. 285.]

#### CCXXII.

*Urbani II papæ epistola ad Rainundum Ausciensem archiepiscopum. — Adversus clericos, qui cœmetrium S. Orientii violaverant.*

(Anno 1097.)

[DOM BOUQUET, Recueil, t. XIV, p. 725.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri R. [RAIMUNDO], Auxiensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in Auxiensi metropoli per Romanam Ecclesiam noviter sis ordinatus, sedis apostolicæ decretis obediens te irrefragabiliter oportet. Mandamus ergo fraternitati tuæ ut de clericis sedis tuæ, qui cœmetrium quod beati papæ Leonis et nostro decreto ecclesiæ Beati Orientii firmatum fuerat, violaverunt, justitiam facere canonica æquitate procures. De cætero et te ipsum et tuæ sedis clericos ita custodias, ut Romanæ Ecclesiæ decreta inconvulsa apud vos, Domino largiente, conserventur et integra.

Data Romæ, iii Kalendas Maii.

#### CCXXIII.

*Salmoniaci pagus Ecclesiæ Gratianopolitanæ asseritur.*

(Anno 1097.)

[RUINART, Vita Urbani, III, 566.]

D URBANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo fratri et coepiscopo HUGONI, apostolicæ sedis vicario, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam arroganter, quam indigne adversus nos et sanctam Romanam Ecclesiam frater noster Viennensis archiepiscopus Guido se habuerit, scientiam vestram nequaquam latet; præter cætera vero cervicem suam adversus humilitatem nostram adeo sustulit, ut et Romanensem abbatiæ a nobis interdictam reinvaderet, et fratri nostro Gratianopolitano episcopo ecclesias quas nobiscum ipse restituerat sine iudicio reauserret. Tuam ergo fraternitatem pro nobis omnino ad justitiam excitari præcipimus. Sentiat ut adamantem et silicem faciem tuam, remotaque præteritæ lenitatis reverentia, omnino secundum justitiam Gratianopolitanæ Ecclesiæ sua